

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

**Meditationum evangelicarum pars secunda, hoc est:
Solida, ad discendam & exercendam, ex evangeliis tam
dominicalibus quam festivalibus Christi & sui-ipsius
notitiam, informatio**

Creide, Hartmann

Francofurti ad Moenum, 1682

Dominica XVI. post trinitatis

[urn:nbn:de:bsz:31-126164](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-126164)

Hinc Siracides: Non laudes virum in specie suâ, Sir. 11. v. 1.

III. *Tanquam pietatis ante omnia sectanda commendator.* Ideò Servator in fine Evangelii: Quærite primùm regnum Dei, & justitiam ejus, &c.

Per regnum Dei hîc non intelligitur *regnum potentia*, de quo Psal. 103. v. 19. Psal. 135. v. 6. sed *1. Regnum gratia*, quod in ecclesiâ sceptro verbi & sacramentorum gubernat, Psal. 45. v. 7. Regni hujus consortes sunt omnes veri Christiani, qui propterea genus electum, Regale sacerdotium, gens sancta vocantur, 1. Petr. 2. v. 9.

Hoc regnum, sicut non venit cum observatione, h. e. externâ pompâ, Luc. 17. 20. sic etiam non est esca & potus, sed justitia, & pax & gaudium in Spiritu S. Rom. 14. 18.

2. *Regnum gloria*, de quo Sap. 5. v. 16. 17. Eò igitur omni studio contendere debemus, ut simus cives sanctorum & domestici Dei, Eph. 2. 19. Sic tandem hereditario accipiemus paratum nobis regnum à constitutione mundi, Matth. 25. 34. & coronam vitæ reportabimus, Apoc. 2. v. 10.

Hic magno studio & contentione opus est, ideò dicit Christus *in tei*, & quidem

ante omnia, hoc enim unicum est necessarium, Luc. 10. v. ult.

Contrarium à multis subinde fit, Mich. 2. v. 1. Ideò Servator ait: Læta porta, & spaciola via est, quæ ducit ad perditionem, Matth. 7. v. 13.

Nos proinde contendamus intrare per angustam portam, Luc. 13. v. 24. cum metu & tremore salutem operemur, Phil. 2. v. 12. & præbeamus corda nostra, & animas nostras, ut quæramus Dominum Deum nostrum, 1. Chron. 23. v. 19. sic inveniemus eum, Deut. 4. v. 29. Et cum eo omnia, quibus quoad animam & corpus indigemus. *Cum Dei enim sint omnia*, ubique Deum habens, simul habet omnia, ait Cyprianus. Et Assaph: Quid enim mihi est in cœlo? &c. Psal. 73. v. 25.

Verè *petra cordis nostri* in omnibus adversitatibus. Nisi lex tua gaudium meum, Psal. 119. v. 50. 92. Verè quoque *pars nostra*, primò *in vitâ*, est enim protector vitæ nostræ, Psal. 27. 1. Deinde *in morte*. Sive n. vivimus sive morimur, Domini sumus, Rom. 14. 8. & tandè portio nostra *in terrâ viventium*, in æternû, Psal. 142. 6. Largiatur id nobis Christus Jesus, benedictus in secula, Amen!

Dominica XVI. post Trinitatis.

Evangelium Luc. 7. v. 11. --- 17.

EXORDIUM.

DE Abrahamo refertur, quod ab Ephron Hethæo emerit *speluncam duplicem*, quam habuit in extremâ parte agri sui, in possessionem sepulchri, quo Saram defunctam conderet, quadringentis siclis argenti, cum

tamen aliàs non haberet hereditatem in terrâ istâ, nec vestigium pedis, Gen. 23. v. 16. Act. 7. v. 5.

Hoc *mysticè* intelligendum est. Abraham non ignarus erat, *se hominem esse mortalem*, ideò emit hunc agrum, non modò

modò pro demortuâ conjuge suâ Sarâ, sed hæreditariè in possessionem sepulchri, pro se & posteris suis, qui omnes ibidem sepulti sunt, idèd Jacobus morti vicinus, præcepit filiis suis: Ecce congregor ad populum meum: sepelite me cum Patribus meis in speluncâ duplici, quæ est in agro Ephron Hethæi, contra Mambre, in terrâ Canaan, quam emit Abraham cum agro, ab Ephron Hethæo, in possessionem sepulchri. Ibi sepelierunt eum & Saram uxorem ejus: ibi sepultus est Isaac cum Rebecâ, conjuge suâ: ibi & Lea condita jacet, Gen. 49. vers. 20. seqq.

Dicamus ab Abrahamo, ut & nos mortalitatis nostræ memores, in tempore de Dormitorio circumspiciamus, in quo aliquando condi velimus.

Et enim Domini est terra, & plenitudo ejus orbis terrarum, Psal. 24. v. 1. attamen plerumq; post mortem in eo loco, ubi nostri conditi sunt, sepeliri commodum videtur, sicut & Tobias senior filio suo mandavit, ut uxorem suam juxta se sepeliret, Tob. 4. v. 5.

Imprimis non incommodas meditationes hoc in nobis excitat, quod spelunca hæc, quam Abraham in possessionem sepulchri emit, spelunca dupliciter vocatur.

Sine dubio sic appellatur, quia duo habuit ostia: alterum per quod ingredi, alterum per quod egredi potuerunt. Sic cœmeteria nostra & tumulos, in quibus condimur, intueri debemus. Per unam enim speluncam sive ostium intramus, per alteram verò exhibimus, quando dicitur: Revertimini filii hominum, Psal. 90. v. 3. Quamvis enim omnibus nobis ob peccata moriendum sit: tamen non in sepulchris manebimus, sed prodibimus vicissim ex eisdem, non in ejusmo-

di infirmitate & fragilitate, quâ terræ mandati sumus: verùm in angelicâ claritate & gloriâ. Seminatur enim in corruptione, & resurget in incorruptione, 1. Cor. 15. 42.

Hujus rei multa specimina & exempla habemus, tam in V. quàm in N. T. in iis, qui non modo à morte abrepti, sed & à Prophetis, Christo & Apostolis resuscitati sunt, in quorum numerum & juvenis Nainiticus meritò referendus est, de quo audimus in prælecto Evangelio, quod jam feretro impositus, in magnâ populi frequentiâ civitate elatus fuerit. Christo verò commodum accedente, duellum quasi ortum est inter vitam & mortem. Attamen vita palmam obtinuit. Mors enim cedere, & defunctum adolescentem è vinculis suis, quibus ipsum constrinxerat, dimittere cogebatur, sicut pluribus ex Evangelio constat.

Nos absque ulteriori præambulo ipsam Evangelii tractationem aggrediemur, ex eodem meditaturi:

- I. Ἀρθρωπολογίαν sive notitiam nostri.
- II. Χριστολογίαν, sive notitiam Christi.

J. J.

Exegesis.

Pli veteres, in quibus est sapientia & prudentia, Hiob. 12. 22. profundas meditationes, ut aliis in rebus, sic & quod mortalitatem nostram concernit, nobis reliquerunt, ut inde occasionem caperemus, identidem cum Regio Psalte suspirandi: Notum fac mihi, Domine, finem meum, & mensuram dierum meorum, quis sit: ut sciam, quod desiturus sim, Ps. 39. v. 5.

Imprimis memoratu dignum est, quod Gr. Nyssensis scribit, super Græcis appellationibus, primi & secundi librorum Mosis.

Xx

Quia

Quia enim primus inscribitur, *genesis* & agit de principio & introitu hujus mundi, quomodo Deus omnia ex non apparentibus fecerit, Hebr. 11, 3. in sapientia, Pf. 104. v. 24. Secundus verò *Exodus*, qui exitum Israelitarum ex Aegypto memorat: applicat id illa ad hominem, qui nullam civitatem permanentem in hoc mundo habet, Hebr. 13. v. 14. sed quando vix mundum ingressus est, ad exitum se continuò parare, & ita omnibus momentis mortem expectare debet. Aequo enim pede domicilia omnium pulsât, tam divitum quàm pauperum, tam senum quàm juvenum, ubi enim in sepulchrum ventum est, nihil refert, multosne, an paucos annos aliquis vixerit, Sir. 41, 7.

Exemplum habemus in *juvene Nainitico*, qui in ipso ætatis flore, à morte abreptus fuit, ubi mater ejus sibi spem fecerat, fore sibi sustentaculo & fulcro, in senectute suâ, nec minus solatium viduatâs.

Ad *notitiam nostris*, si pervenire velimus, spectemus

1. *Adolescentem defunctum*, qui postquam ex *ephebis* excessit, in ipso adolescentiæ virore, acerbissimo matris cum dolore, portis civitatis elatus est. Ubi de *mortalitate nostrâ* commonemur, omnibus enim dictum est: *Terra es, & in terram reverteris*, Gen. 3. v. 19. Hic nemo exemptus est, omnes quicumque terræ munere vescimur, sive Reges sive inopes sinus coloni, hinc exire cogimur, statutum est hominibus semel mori, Hebr. 9. v. 27.

Philosophi & Sophistæ
Theologi & Juristæ,
Medici & divites,
Ægroti & pauperes,
Domini & Subditi,
Infimi & Supremi,

Senes & Patres,
Infantes & Matres,
Excluso prorsus nemine
Coguntur illuc ire.

Hic insipientes se juvenes & virgines, an etiam cogitent, se hodie adhuc, vel hoc ipsò momento à morte invadi & abripi posse?

Id paucis familiare est. Juvenes enim Baccho & Venerilantes pro symbolo habent: Sit fortitudo nostra lex injustitia, Sap. 2, 11. Virgines verò elevatae sunt, & ambulat extento collo, fucatis faciebus, cunt & plaudunt, & ambulat, & pedes suos ornant, Eccl. 3. v. 16. Sic parùm de mortalitate illi suâ cogitant.

Hæc *culpabilis est securitas*, quam omnes veri Christiani meritò fugere debent. Mors utique certa est, sed hora mortis incerta. A manè enim usque ad vesperam immutabitur tempus, Sir. 18, 26.

Multi siquidem ex improvise morte abrepti sunt, ut exempla probant. Multa cadunt inter calicem supremaq; labra, imò infantes in utero materno non immunes sunt ab eadem. In sepulchro enim jaçant infantes, qui concepti non viderunt lucem, Job. 3. v. 16.

Quis igitur es, quod in juventute tuâ ad eò confidis, quasi cum morte foedus, & cum inferno pactum inieris, & facis, quæ animo tuo libet? Memento, memento inquam, Adolescentis Nainitici, & alia mens tibi erit.

1. *Respectu annorum*, erat enim *virion*, flos ipse ætatis, qui matri baculus senectutis, & solatium vitæ fuit: Sed ex improvise à morte demetitur, nec ullum in adolescentia patrociniū invenit. Hoc exemplū humilitatem & pietatem in te excitare debet. Propterea cogites, quod sicut ejus *judicium*

dicium fuerit, sic & tuum futurum sit, Sir. 38. v. 23.

2. *Respectu morum.* Sine dubio enim filius frugi fuit, & bonæ spei, quia non modò mater ejus adeò largiter lacrymas profudit, sed & tota civitas funus prosequitur: quin & Christus misericordiâ motus est, ut illum à mortuis resuscitaverit: nihilominus morti obnoxius fuit, & quidem ratione peccati, quod in renatis quoq; non planè exstinguitur, sed potius tegitur & remittitur, Psal. 32. v. 11. ut in iis nulla condemnatio sit, Rom. 8. v. 1.

Quid vobis igitur fiet, vos præfacti adolescentescens? qui nullo modo huic juveni comparandi estis? an censetis mortem vobis parsuram esse? Quia in delictis hujus mundi vivitis, jam tùm mortui estis viventes, 1. Tim. 5. v. 6. 1. Petr. 2. v. 11. Et quamvis persvadeatis vobis, viam vestram complanatam esse lapidibus, tamen in fine erit profunditas inferni, Sir. 21. v. 11.

3. *Respectu locorum.* Habitavit enim in oppido Nain, duodecim milliariibus, ab Hierosolymis, loco peramœno, ubi aër salubris & terra frugifera fuit, unde etiam præcul dubio Nain, i.e. amœni sc. agri appellatum fuit: Præterea adhuc cum matre cohabitavit, quæ omni curatione ei præstò fuit. Attamen mortuus est, eumq; neq; amœnitas loci, neq; amor matris, protegere potuit, Mors enim ubiq; penetrat, ut nullus murus adeò crassus, nulla turris adeò alta, & nulla arx tam firma sit, quâ reprimi possit: quinimò & ex improvise per fenestras ascendit, Jer. 9. v. 21. & æquo pede pulsat pauperum tabernacula Regumq; turres.

Omnem itaque animi torporem excutere debemus, recordantes verborum Senecæ: *Incertum est, quo te mors expectat loco,*

itaq; tu illam omni in loco expecta. Si ethnicus hoc consideravit, multo magis nostrum erit, qui Christiani sumus, ut singulis momentis ad mortem nos præparemus, sic nobis perinde erit, ubicunque locorum fuerimus, mori, siquidem & mors ipsa diligentibus in bonum cooperabitur, Rom. 8. v. 28.

II. *Exequialem processum.* Cum enim appropinquaret portæ civitatis, ecce, defunctus efferebatur, filius unicus matris suæ, & hæc vidua erat; & turba civitatis multa cum illâ.

Hæc laudabilis consuetudo semper viguit in populo Dei, quod defunctos honestè terræ mandarint, & eorum exequias prosecuti fuerint, idèd Siracides ait: Fili, in mortem produc lacrymas, c. 38. v. 16. *Hoc viventium pariter, & mortuorum solatio inservit. Viventium quidem; Ut dolorem citius deponant, quando suos vident honestâ sepulturâ per multorum comitatum honorari, ut bonum nomen illi relinquant, quod magis permanet, quàm mille thesauri preciosi & magni, Sir. 41, 15. Mortuorum verò, ut eò animosius diem suum obeant, quia sciunt, se non insepultos abjectum iri, velut Rex Jojakim, Jer. 22, 19. sed honestam sepulturam potituros esse, ponè parentes, conjuges, liberos, & alios amicos, qui ante ipsos mortem oppetierunt, sicuti de Barfilai decrepito legimus, quod nihil magis desideraverit, quàm ut moreretur in civitate suâ, & sepeliretur juxta sepulchrum patris sui, & matris suæ, 2. Sam. 19. v. 37.*

Hic te ipsum velim examini subjicias, mi Christiano! Utrum & ipse cum aliis Christianis libens in funus prodieris, & exequias eorum comitatu tuo cohonestaveris?

Hoc ultimum pietatis officium est, quod alter alteri exhibere potest, habetq; hinc hæc

in signem utilitatem, ut simul mortalitatis suæ commoneatur. Hinc Salomo: Melius est ire ad domum luctus, quàm ad domum convivii, Eccl. 7. v. 3.

Hic verò locum habet illud Poëtæ:

Cum moritur dives, concurrunt undique cives,

Cum moritur pauper, veniunt vix unus & alter.

Nonnulli verò, licet hanc gratiam defuncto præstent, tamen ex condolentiâ id non faciunt, sed tantùm quia ita moris est: paucissimi verò cogitant, quod & ipsi hâc viâ suo tempore deducendi sint. Alii luctui funebri interesse nolunt, dicentes, ut Xerxes ad Artabanum: *Omittamus ista, neque tristitiam rerum mentionem faciamus, cum latiora præ manibus habeamus.*

Veri Christiani libenter cum aliis Christianis in funus prodeunt. Est enim

1. *Processus necessarius.* Deus enim iussit, quod flere debeamus cum flentibus, Rom. 12, 15. & charitatem, quæ nunquam excidit, 1. Cor. 13, 8. mortuo nõ prohibere, Sir. 7, 37.

2. *Processus commodus.* Multi libentius fectantur vinum, & student calicibus epotandis, Prov. 23. v. 30. sed melius est in domum luctus ire, ubi Memento mori discere possumus, qui enim memoratur novissima, in æternum non peccabit, Sir. 7. v. ult.

3. *Processus laudandus.* Hic enim nobis exempla sanctorum prælucent. Josephus exequiis paternis cum fratribus & totâ domo suâ interfuit, Gen. 50, 7. seqq.

David cum Abnero in funus prodiit, 2. Sam. 3, 31. Confer Matth. 9, 23. Joh. 11, 33, 38.

Hæc & alia hujusmodi exempla, & nos quoq; imitari debemus. Hic enim quasi speculum habemus, in quo cernere possumus, quàm præclarum sit, si in vita laudabi-

liter & præclare te geras. Qui hoc enim facit, amorem sibi plurimorum conciliat, ut post mortem frequentes in funus suum veniant; hoc ipso verò pius Christianus, eò magis ad honestam & piam vitam, & ergâ Deum, & ergâ proximum inflammatur. Impii enim indigni sunt, qui honestâ sepulturâ afficiantur, iccirco pii quoq; Christiani hoc pietatis officium iisdem non præstant, sed sinunt, ut mortui sepeliant mortuos suos, Luc. 9, 60.

Icirco quilibet rationem suam instituat, ut justè, temperanter, & piè vivat in hoc seculo, Tit. 2. v. 12. Sic memoria ejus cum laudibus erit, Prov. 10, 7. quilibet libenter funus ejus adjuvabit, & dicet. Væ frater, væ soror, Jer. 22, 18. quis mihi tribuat, ut ego moriar pro te, 2. Sam. 18. v. ult. quia pater fuisti pauperum, Job. 29. v. 16. & necessitatibus Sanctorum communicasti, Rom. 12. v. 13. Hæc præclara laus est, quam quis honestè se gerendo, sibi conciliare potest. Amplissima ex ore Christi audietur, quando dicitur est die novissimo: Esurivi & dedisti mihi manducare, Matth. 25, 35. tunc laus erit unicuique à Deo, 1. Cor. 4, 5.

III. *Matris tristissima statum.* Erat enim vidua. Viduatus per se est status miserimus, maximè verò ubi malum uxorem attingit, ut marito suo privetur, & hoc ipso in luctum & squalorem conjiciatur. Vir enim caput est mulieris, Eph. 5, 23. Quid v. corpus sine capite? Nil nisi truncus omnib; miseris expositus. Hinc Theknitis miseriam suam complexura, ait ad Davidem: Heu vidua sum! 2. Sam. 14, 5.

Interim tamen Deo gratæ & commendatæ sunt, qui grave edictum promulgavit de non offendendo eas: Viduæ & pupillo non nocebitis, Exod. 22, 22. Deut. 27, 19.

Verum

Verum hoc de vere viduis intelligendum est, quæ in Deo sperant, desolatae & irreprehensibiles sunt: cæteræ viventes mortuæ sunt, 1. Tim. 5. v. 7. Nec patrocinium Dei ipsis sperandum, Deus enim non est Deus mortuorum, sed viventium, Matth. 22. v. 32.

Hic probent se vidua, quomodo hactenus in statu suo se gesserint, & adhuc gerant, an in eo bonam conscientiam servare, deque auxilio Christi certi esse possint?

Vidua in hodierno Evangelio, sine dubio pia Matrona fuit, secus enim Christus misericordia ejus affectus non fuisset: neque tot pii homines exequias filii ejus præsentia sua decorassent. Ideoque in eam omnes Christianæ matronæ, velut in speculum intueri debent, ut ad ejusdem exemplum, viduatam ita ducant, sicut verbo Dei consentaneum, sibi ipsis vero laudabile est.

Exempla in sacris sunt *Ruth*, Ruth. 3. v. 10, 11. *Judith*, 8. v. 8. *Hanna*, Luc. 2. vers. 37. Quæ proinde viduæ adhuc hodie vestigiis harum insistent, eas non relinquet Christus orphanas, Joh. 14. v. 18. sed vult judex earum esse, Psal. 68. v. 6. & causam earundem contra omnes offendentes illas, agere, Prov. 23. v. 11.

Sed tales viduæ raræ sunt: plures reperiuntur, quæ otiosæ discunt circumire domos, non solum autem otiosæ, sed & verbosæ & curiosæ loquentes, quæ non oportet, ut à Paulo describuntur, 1. Timoth. 5. vers. 13. hæ Christo minus placent. Ideoque sæpe mirabiliter puniuntur, ut famæ honestioris naufragium faciant, & licet ad secunda vota transeant, tamen ex justo Dei judicio hoc ideo fit, ut prior maritus vindicetur. Sic verum fit Salomonis istud: Malum est, malum

est, dicit possessor, & cum recesserit, laudatur, Prov. 20. v. 14.

Matronæ igitur honestæ caveant, ne famæ suæ labeculam adspargant, & ante omnia id operam dent, ut Christum sibi amicum retineant, is omnem mœrorem profligare poterit, quod & promisit, Psal. 55. v. 23.

De Secundo.

Accedemus nunc ad alteram partem, *ἡ ἡμετέριον ἡμετέριον*, sive notitiam Christi consideraturi. Hic nobis commendatur in præsentem Evangelio:

I. *Tanquam opportunus auxiliator.* Hoc luculento exemplo hic probat.

Adolescens Nainiticus sine dubio dies aliquot ægrotavit, ibi Christus accedere, eumque sanitati restituere potuisset. Sed id non fecit. Cum moreretur jam, etiam ex judicio nostro commodior advenisset, dum corpus adhuc calore præditum nondum rigeret: sed non venit, donec funus porta civitatis efferretur. Interim tamen non nimis sero, sed justo tempore advenit, & auxilium exhibuit, ut populus in admirationem raptus, cum gaudio exclamaverit: Prophetamagnus surrexit in nobis, & Deus visitavit plebem suam.

Solacium hinc cape, mi Christiane! quando afflictio tua indies augetur, & nusquam auxilium apparet, ut causam habeas Jeremiæ verbis querendi: Quare factus est dolor meus perpetuus? Jer. 15. v. 18. Dominus in tempore veniens veniet & non tardabit, Hab. 2. v. 3. Quia non repellent in sempiternum Dominus, Thren. 3. vers. 31. Non vero patitur sibi præscribi tempus, sed quando omnia desperata videntur, in inundatione

prætereunte; consummationē faciet loci eius, Nahum. 1. v. 8. Ideo vocatur, Adjutor in opportunitatibus, Psal. 98. v. 10.

Cum Moses *Israelitas* ex *Aegypto* eduxisset, ad mare rubrum quasi inter sacrum & saxum illi stabant, coram se mare cernentes, pone se Pharaonem cum exercitu adventurientem metuentes: Verum divisit Deus mare, ut illi sicco pede pertransirent, Pharaō vero cum exercitu suo in eodem suffocaretur, Exod. 14. v. 25. seqq.

Pari modo Deus *Assam Regem* ex angustiis suis liberavit, 2. Chron. 14. v. 9. seqq. Et *Hiskiam* à metu *Scannacherib*, Esa. 37. v. 29.

Sic *tempus desperationis, tempus salutis*, ideoque animum non abiciamus: sed in omnibus calamitatibus potenti huic Domino confidamus: Mutatio enim dexteræ Excelsi, Psal. 77. 11. Viæ ejus paratæ sunt, Judith. 9. v. 5.

II. *Tanquam optimus consolator*. Hic audimus, quod in æstissimam hanc viduam perhumaniter alloquatur, quando mors filii lacrymas ei exprimit, ut dicat: Noli flere!

Nos quoque solatio ejusmodi indigemus, mundus enim nihil aliud est, quam vallis lacrymarum, Psal. 80. v. 6. ubi super flumina tribulationum sedemus, & flemus, Psal. 137. v. 1. Et quemadmodum *Gelimer*, *Sclavorum Rex*, à *Bellisario Imperatoris Justiniani Duce*, in angustias redactus & obsessus, ut quomodo se liberaret nesciret, ad amicum quendam literas exaravit, ut sibi panem, spongiam & lyram mitteret: panem, ut famem sedaret; spongiam, ut lacrymas abstergeret, & lyram, ut animi dolorem propelleret: sic & nos imprimis spongia indigemus, ut lacrymas abstergamus,

quas quotidie profundere tenemur, in hac lacrymarum valle. In flagella enim parati sumus Psal. 38, 18. Et homo nascitur ad laborem, ut avis ad volatum, Job. 5. 7.

Sed Christus adhuc vivit, & veluti viduam hanc affatus est: Noli flere: sic adhuc hodie omnes, qui cruce premuntur, efficaci consolatione erigit, ne desperemus, sed fidentes simus in Deo, qui suscitavit mortuos, 2. Cor. 1. v. 9.

Confidite igitur *Christiani Parentes!* quando per mortē liberis privamini, velut *Hiob*, c. 1. v. 19. Christus solatio vobis dicit: Nolite flere, in requie enim requiescēt, Sir. 18. v. 24. Iam novistis, quod in refrigerio sunt, ubi nec malitia intellectum eorum mutare, nec fictio animam eorum decipere valet, Sap. 4. v. 11. Die novissimo recuperabitis eosdem, non infirmos aut mortuos: sed in corporibus glorificatis, fulgentes ut Sol in regno patris eorum, Matth. 13. v. 43. Dan. 12. v. 3.

Confidite, *derelicta vidua!* quæ per mortem conjugibus vestris privata est! Christus & vos alloquitur: Nolite flere! quia saltem præmissi sunt, quos vos suotempore sequamini. Interea Dominus maritus vester erit, Esa. 54. v. 5. facietque vobis iudicium, Deut. 10. v. 18. Custodit enim advenas, pupillam, & viduam, Psal. 146. v. 9.

Confidite, *pupilli & orphani!* qui in hoc mundo omnium prædæ & direptioni expositi estis, Esa. 10. v. 2. Audite Jesum dicentem: Nolite flere! Propterea in patientiâ custodite animas vestras, Luc. 21. v. 19. dicentes cum Davide: Pater & mater mea dereliquerunt me; Dominus autem assumpsit me, Psal. 27. vers. 10.

Omnes in universum afflicti & erumosi
Con-

Confidite ! qui hoc in mundo panela-
crymarum cibamini, & lacrymis copiose
potamini, Psal. 80. v. 6. Jesus amice vos
affatur: Nolite flere! usque ad senectam,
& usque ad canos ego vos portabo, Ef. 46.

Hæc fiducia vestra sit, Dilecti! Memen-
tote, Deum fidelem esse, qui non patietur
vos tentari supra id, quod potestis, 1. Cor.
10. v. 13. Quoniam ira momentum, Psal.
30. v. 6. Hæc sunt vicissitudines, quibus De-
us fideles suos mirificat, dum introducat
eos in cœlestem Hierosolymã, ubi conso-
labitur eosdem ut mater, Esa. 66. v. 13. Et
omnem lacrymam absterget ab oculis eor-
um, Apoc. 7. v. ult.

III. *Tanquam Triumphator.* Hujus hic
præclarum habemus exemplum, ubi fit
occursus vite & mortis, dum ex urbe Nain
mortuus effertur, illo ipso momento, quo
Dominus eam ingressurus est: Ideo oppo-
nit se ei, & duello configit, tanquam Do-
minus, habens claves mortis & inferni,
Apoc. 1. v. 18. De quo Ecclesia:

Cum morte vita certans,

Mirum duellum gessit:

At vita palmam portans,

Mortis furorem pressit.

Scriptum nunciavit,

Ut nex necem voravit,

Mors in jocum nunc cessit.

Es war ein wunderlicher Krieg/

Da Tod und Leben ringen.

Das Leben hic behielt den Sieg/

Es hat den Tod verschlungen.

Die Schrift hat verkündet das/

Wie ein Tod den andern fraß/

Ein Spott aus dem Tod ist worden.

Dam enim modo loculum tetigit, &
defuncto dixit: Adolescens, dico tibi
surge, ex templo resedit, qui erat mor-

tuus, & cepit loqui, & dedit illum matri
suz.

Diabolus est prepotens spiritus & Prin-
ceps hujus mundi, Eph. 6. v. 12. sed tanta po-
tentia non pollet, ut de mortuum in vitam
revocare possit. Quod enim per Pytho-
nissam in Endor, cum Samuele peregit, præ-
stigia tantum fuerunt, 1. Sam. 28. v. 13. A-
nimæ justorum in manu Dei sunt, Sap. 3. 1.
in eos nullam potestatem habet diabolus,
non rapiet eas quisquam de manu mea, ait
Servator, Joh. 10. v. 29.

Quando proinde diabolus personas du-
dum defunctorum repræsentat, non arbi-
trandum est, quod defuncti ipsi id sint: sed
diabolus hoc ipso hominibus superstitionis
glaucoma objicit, ut superstitionem eorum
confirmet, & sic in errore retineat.

Sed cum Christo nullæ præstigiæ fue-
runt: Verum quicquid fecit in diebus car-
nis suæ, mortuos resuscitando, & alia mira-
cula patrando, id omne vere ita factum est.
Propterea vocatur Dux vitæ, Act. 3. v. 14.
qui deo in mundum venit, ut destrueret
eum, qui habebat mortis imperium, i. e.
diabolum, & liberaret eos, qui timore mor-
tis per totam vitam obnoxii erant servituti,
Heb. 2. v. 14. 15.

Die novissimo tumulos nostros aperiet,
nosq; populum suum ex iis educet, Ez. 37.
v. 12. Venit enim hora, in qua omnes, qui in
monumentis sunt, &c. Joh. 5. v. 28. 29.

Dicant igitur Sadducæi, dicant Epicuræi,
quicquid velint: Tu vera fide amplecte-
re Servatorem tuum, qui juvenem Nai-
niticum resuscitavit: hinc neque te sepul-
chro relinquet: sed die ultimo cum Ma-
jestate reducet, transfiguraturus corpus
humilitatis tuæ, configuratum corpori
claritatis suæ, secundum operationem

virtu-

Virtutis lux, qua etiam potest sibi subijcere omnia, Phil. 3. vers. ult. Huic itaque mane & vesperi te commenda, devote orans:

Cateru Servator, angelos jube *fac angelicam*
in sinum Ut spiritum in sinum Abraham, *Abraham aiam*
Sum mortis gone mortis portent: *portare,*
in lectulo Ut ossa dormitorio *corpuseulum*
Ad diem Ad dente nullo incommodo usq; novissimū
Suavisime Magnum ad diem dormitent. *cubare:*
Emorte Tum morte me resuscita, *tunc me suscita*
ut hoc tell Ut clara cernant lumina, *cernant lumina*
Cum plaudis In gaudio, benigne te *Fili Domini*
Mi Soler Servator, & fons gratiæ, *ae Patrone*
Redemptor Tu pronus aures applica, *mi, exaudi me,*
Aeternum Laudabo te per secula. *celebrabo te.*

Ach Herr laß dein lieb Engelein
 Am letzten End die Seele mein
 In Abrahams Schoos tragen.
 Den Leib in seinem Schlafkammerlein!

Gar sanft ohn einge Quaal und Pein
 Ruhn biß am Jungsten Tage.
 Allsdenn vom Tod erwecke mich!
 Daß meine Augen sehen dich.
 In aller Freud O Gottes Sohn!
 Mein Heyland und Genaden
 Ehron!
 Herr Jesu Christ/erhöre mich/
 Ich wil dich preisen ewiglich.

Dominica XVII. post Trinitatis.

Evangeliū Luc. 14. v. 1. --- 11.

EXORDIUM.

Vidit olim Nebucadnezar per somnium statuam magnam & splendidam valde, cujus caput ex auro optimo erat, at pedum quædam pars erat ferrea, quædam autem fictilis. Postremo abscissus est lapis de monte sine manibus: & percussit statuam in pedibus ejus ferreis & fictilibus, & comminuit eos. Dan. 2. v. 31. & seqq.

Quid Deus per hanc statuam Nebucadnezari significare voluerit, id Daniel dicto loco pluribus exposuit: nimirum quatuor Monarchias & Imperia mundi, quomodo per ultimum Christi adventum, plane minuenda & desitura sint. Sed juxta illam significationem etiam delineatio esse

potest hypocritarum, qui mera verba aurea fundunt, dicentes: comede & bibe, quorum mens non est tecum, Prov. 23. v. 7. sed in felle amaritudinis, & obligatione iniquitatis, ut de Simone mago dicitur, Act. 8. v. 23. potant enim proximum suum, & inebriant, ut videant nuditatem ejus, Habac. 2. v. 15. Ideoque pedes eorum observandi sunt, quorum pars quædam ferrea, quædam autem fictilis est, & apparebit, facta cum verbis non consentire: sed sunt homines *Αἰσχροί*, & monstra hominum, qui quasi geminum cor habent, & duplicem animum Jac. 1. v. 8. altero bonum, altero malum meditantur. Idcirco ratione illorum nos commonet Salomo, ut caveamus ab ipsis, quan-